men. Barbara soror est et te reliqui salutant. Mihi quanta potes animi
pietate coniugem tuam amplectere, et meis meaque uxoris verbis illi placidum et
in DEO quietum Spiritum precare. Tum autem Carolum et Johannem cum suis
uxoribus meis cognatis diligenter saluta, quos miror nihil ad me literarum dedisse.
Iterum vale. Duisburgi 4. Octob. 1561.

Vester

Johannes Molanus.

Nr. 105) Gerardo Stedingo Wittebergae. Pax Christi

[= Mscr. a. 12: Nr. 25] Quamvis res nostra non ferat eam literarum reciprocationem, quae Bremae
nuper inter nos fuerat iucundissima idemque charissime Stedinge, tamen
non ita prorsus intermittenda est salutaris consuetudo, ut amissa aut etiam abolita
videri possit. Scio quam ex animo te dilexerim, iam annis 6 vel 7. nec
debes cogitare meo in te amori vel decessisse quidquam, vel decessurum esse. Postu
lat vicissim meus candor, ut me esse eo apud te credam loco quem obtinebam
Bremae iis annis quibus aliquid auxilii ex me tuis studiis esse posse credidis
ti. Non sunt causae amoris mutui inter nos commemorandae ex meo animo
iudico altius eas tibi insedisse, quam ut debilitari queant vetustate. Tantum cogite
mus quibus possimus flabellis eum inter nos affectum, quem inter nos expedit quam ardentissimum esse. Non longum est quod mihi ad vitam huius exitum superest. Dum ad
sum velim me qualicunque amico pro tuo arbitratu uti. Hic adolescens, qui istuc de
fertur ad te, tui simillimus est, hoc est placidus, suas res quiete agens, valde amans stu
dia et sincerum pietatem. Eum ut peregrinum mihi propter ingenium et mores
egregie charum velim te vel mei respectu, vel quia te dignum est, officio aliquo
pietatis demereri, scilicet ut hospitium aliquod in hyemem inveniat bona fide
est. non commendarem tibi eum nisi spectata nobis eius integritas esset. Plura
nunc non possum. Meae res sunt (ut solent) humiles et in solicitudine, ora pro
me mutuum hoc facturus. Vale Cal. Novemb. 1561. Vetus amicus et

Duisburgi.

Frater

Johannes Molanus.

Nr. 106) Testimonium Joh. Ervii. Pax Christi

Tanta est nunc fererina eorum qui studiis humanitatis destinatur. Imo vero tantus
[= Mscr. a. 12: Nr. 26] est numerus sub praetextu artium honestiorum, otio, inertiae et voluptatibus obse
quentium, ut si quem forte nactus sis, qui hoc agat, qui frugi sit, qui in rem incumbat
gloriari merito possis te Halcyonem vidisse. Quamobrem si antehac usquam, nunc
certe non iustum modo sed etiam necessarium officium est, ut propter decus tam ve
rae virtutis et propter contagiorum pericula, adolescentes qui suum studium et mo
rum sanctimoniam suis Magistris probarunt, nec maligna nec affectato, sed merito

vera

veraci testimonio commendentur. Scilicet ut in alios coetus benignius recepti spectatae modestiae fructum aliquem ferre possint. Hac ego ratione Johannem Eckium iuvene et honestum, et pietatis studio egregie addictum, in quo aliquid DEI esse video, quem in magna peccandi illecebra inculpate hic vixisse scio. Velim quocunque se verterit bonis benevolentibus quam commendatissimum esse. Proinde eos rogo ad quos haec mea testificatio pertinebat, ut iis eum officiis prosequantur, quae non nisi quietis ingeniis et recto pede ad doctrinae laudem intentibus debentur. Christus qui suas oves colligit in sua multiplicet coetus pacem Ecclesiae precantium. Cal. Novemb. 1561.

Johannes Molanus Duisburgi literarum Professor

[Kenchelio]

Dn. Conrado Kenchelio sen. [illegible] Pax Christi

Vetus dictum est: apage hospitem in tempestate. Venit ad nos nuper Henricus quidam vester explorator (ni fallor) futurus rerum nostrarum. hoc enim postularam per epistolam (ut a vobis veniret aliquis adversus quorundam rumusculos de rebus nostris quaesiturus) Venit igitur Henricus in magna nostra et privata Reipublica calamitate, et mecum quidem parcissime nec quidquam nisi communia [illegible] dixit locutus. cum pueris autem Bremensibus multa seorsim collocutus. unum fecit benigne quod mihi 20 daleros argenti reliquit. fuerat mihi ad levandum luctum accommodatius si propositis Hessi istius querelis ex me itidem ut ex pueris verum quaesisset. [illegible] et in nostrum nomen tanquam in attritas lacunas facile ex petulantibus puerorum linguis influunt sophisticae criminationes, fitque (nescio quo modo) ut etiam apud cordatos quibus nostra integritas satis perspecta fuerat, verum inveniatur, quod nobilis ille Alexandri Parasitus dicere improbissime solebat. Fortiter calumniare semper aliquid haerebit. Nam quod apud parentes meorum aliquid valuerint Hessi praeconia vel hinc intelligo, quod post Henrici confirmationem pueros experimento ferociores factos, minusque dicto audientes. Pati debeo et possum ut suas recocunt qui commiserunt. Hostimentum enim est opera pro pecunia. Sed non expedit nobis ad rectam institutionem, nosse adolescentulos sibi adversus Magistrorum imperium, paratum esse apud propitios parentes profugium, quae res ita reddit ferociculos ut vix agnoscant Praeceptores. Philippus in declamatiuncula de miseriis Ludimagistrorum non temere putat labores legitimae eruditionis ab iis nobis exasperari, quorum consilio et auxilio debuerant promoveri. Hessus cum meum collegam elegantissimum virum libro incumbentem petiisset saxo virga capulavit. hinc illae lachrymae, hinc Bremensium querelae fluxerunt, amantium scilicet suam commilitonem et patriotam iniquissime a nobis exagitatum.
Sit

57 [72]

Nr. 107)

Henricus Frojart bene mensis.

et persultorie

[= Mscr. a. 12: Nr. 27]